



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Prima Controversia. An plures notiones eidem personæ conuenientes de
inuicem prædicentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

71.
D. 371.
R. 19. art. 3.

licet dicamus, quod scientia sit potentia. e
Ad Quartum dicendum, quod cum persona impor-
ret dignitatem, ut supra dictum est, non potest ac-
cipi notio aliqua spiritus sancti ex hoc, quod nulla per-
sona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignita-
tem ipsius, sicut pertinet ad auctoritatem patris, quod
fit à nullo.

Ad Quintum dicendum, quod filius d. & spiritus
sanctus non cōueniunt in vno speciali modo existendi à
patre: sicut pater & filius cōueniunt in vno speciali
modo producendi spiritum sanctum. Id autem quod
est principium innotescendi, oportet esse aliquid speci-
ale, & ideo non est simile.

Sensus quasiti.

QVAERITVR hic & aperitur quidditas no-
tionum diuinarum, tam in communi quam
in speciali; quanquam sola verborum inspecta
superficie, numerus tantum earum quinarium vi-
deatur inquiri. Nam cum ratio præcisa numeri
ex quidditate notionis in communi, & eius
per se differentijs necessario sumenda sit: sapien-
ter A. D. in vno proposito numeri quasiti, aliud
quidditate notionum implicite clausum com-
prehendit. Vt autem hic aduertit Caiet. quasitio
est de numero quinario adequatè, an scilicet ita
sint quinque, ut non sint plures, neque paucio-
res, ut perspicue patet ex argumentis pro vtra-
que parte propositis.

Forma Textus.

RESPONDETVR quasiti vnica cōclusio-
ne; deinde ad ampliorē explicationē quid-
ditatis notionū ponitur differentia inter noti-
ones, relationes, proprietates & notiones perso-
nales quo ad numerum.

CONCL. est. Notiones sunt quinque scilicet in-
nascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, &
processio. Probatur. Notio dicitur id quod est
propria ratio cognoscendi diuinam personam:
sed per hæc quinque sufficienter innotescunt di-
uine personæ. Ergo sunt quinque notiones in di-
uinis, scilicet innascibilitas, etc. Minor probatur.
Persona innotescit per hos duos modos scilicet
à quo alius, & qui ab alio: nam hæc duo perti-
nent ad origines, quibus multiplicatur perso-
næ: sed ex his duobus modis confurgunt præ-
dictæ quinque notiones Ergo &c. Probatur mi-
nor in littera ordinatè: vide illam.

Secundo loco statuit S. Thom. differentiam
inter notiones, relationes, proprietates & noti-
ones personales quo ad numerum, ut perspicue
patet in textu.

Expositio Textus.

QUOD primò notandum occurrit, est, D. Tho.
in 1. dist. 26. q. 2. a. 3. alio ferè magis artifi-
ciali ac profundo discursu rationem reddere,
cur sint præcisè quinque notiones diuinæ; con-
ditiones enim tres notionibus essentielles assu-
mit, ut proprias & primas causas numeri notio-
num quinarij, quas etiam in hoc articulo signi-
ficat. Primam quæ est origo, in principio corporis,
reliquas duas in responsione ad quartum & quintum.
Hic autem ea doctrina supposita, eandem pla-
niori methodo conclusionem deducit.

Nota tripli-
cem diffe-
rentiam ex
D. Tb.

Secundo considerandum est triplicem assignari
posse differentiam inter notionem, proprietatem
& relationem, ut ibidem ait S. Th. Prima est

A quo ad rationem significationis: & licet vna & ea-
dem res relatiua, ut paternitas dicitur relatio,
prout refertur ad filium: dicitur proprietas,
quatenus soli conuenit Patri; dicitur notio, ut
principium est formale quo pater innotescit;
denique dicitur proprietas siue notio persona-
lis, quatenus hypostatica forma est personæ con-
stitutiva in esse proprio personali. Secunda quæ
potest assignari differentia est quod ad ordinem
intelligendi, in quo ordine primò consideratur
relatio, secundo proprietas, tertio notio: Nihil
enim potest esse formale principium aliquid
cognoscendi, nisi sit illi proprium; igitur noti-
onis intelligentiam præcedit proprietatis con-
ceptio: rursus nomen & ratio proprietatis nulli
conuenit rei, nisi fuerit ab alijs distincta; in di-
uinis autem distinctio non est nisi per oppositi-
onem relationis; igitur intellectum proprietatis
in diuinis præcedit conceptus relationis, non ea
tantum ratione qua distinguit, sed ea multò ma-
gis ratione, qua constituit: cum prius in quali-
bet forma vel differentia, concipiatur actus con-
stituendi, quam distinguendi. Tertia prædicto-
rum differentia est ea, quam hic assignat Doctor
S. quo ad numerum. Vbi aduerte cum eodem S.
D. in dicto loco, spirationem communem patri
& Filio dici non posse simpliciter proprietatem;
quia non vni tantum, sed duabus conuenit per-
sonis; nuncupari tamen poterit proprietas secun-
dum quid, prout scilicet aliquid dicitur pro-
prium comparatiuè; spirare namque proprium
est patris & filij respectu Spiritus sancti, cuius
opposita proprietas est spirari.

Postremò notanda est explicatio Cai. in responsi-
ad 2.

PRIMA CONTROVERSIA.

An plures notiones eidem persona conuenientes de
inuiem prædicentur?

QVAESTIO est inter Doctores, non de so-
la conclusionē, quam negatiuam proponit
S. Th. sed etiam de ratione ab eodem hic assigna-
ta. Nam Scotus in quol. 5. a. 2. imponit D. Th.
quod dixerit distinctionem rationis inter pa-
ternitatem & spirationem sufficere ad impedi-
dam earum de inuicem prædicationem in ab-
stracito, & ait impediri prædicationem illam, ob
distinctionem ex natura rei inter prædictas duas
relationes.

Molina tria dicit. Primum. Hæc est in sensu
formali concedenda, paternitas est spiratio, acti-
ua: sicut hæc duæ in eodem sensu sunt conceden-
dæ, paternitas est essentia, intellectus est volun-
tas. Secundum. Ratio Cai. non satisfacit. Tertium.
Hæc est neganda, notio paternitatis est notio spi-
rationis, & hoc est quod probat exemplum D.
Th. ut egregiè notauit Scotus.

Sed conclusionem & probationem D. Thom.
quam hic subtiliter explicat Caiet. ceteri om-
nes complectuntur & tuentur expositores. Nam
licet Sylu. multa, quæ prima facie videntur di-
uersa, satis obfcurè congerat, nihil aliud tamen
insinuat, nisi quod hic perspicue docet Caiet.

PROPOSITÆ difficultatis resolutio pendet
ex legitimo sensu verborum D. Th. in resp. ad 3.
Ait igitur S. D. notiones eiusdem personæ, pu-
ta paternitatem & spirationem de inuicem non
prædicari, quia significantur ut diuersæ rationes
(scilicet relatiuæ) personarum. Qua loquendi
forma non significatur notiones iam dictas de
inui-
10.

Sensus qui
fuit, & 5.
tema D.
Horum.

Resolutio.
Explicatur
quid sit re-
lationem,
aut quæ sit
alio signifi-
cari ut di-
stincta in a-
ctu exerci-

CONTRA SCOTUM,
et MOLINAM.

inuiem non prædicari, quia ratione distinguatur, ut Scotus & post eum Molina intellexit; cum valde distet notiones ratione distinguui, & significari ut distinctas rationes personarum: multa namque ratione distinguuntur in Deo, quæ ut distinctæ rationes non significantur; Omnes enim diuine perfectiones ratione distinguuntur ab inuiem, nec tamen earum nomina significant eas ut rationes ab inuiem distinctas, atque ideo de inuiem prædicantur. Quod igitur intendit S. D. est regula illa, quam ex hoc loco in articulo præcedente deduximus, nimirum ea quæ significantur ut distincta, formaliter in actu exercito, non prædicantur de inuiem in diuinis: sub qua sumendo notiones, ut ita distinctas significari, sequitur euidenter eas de inuiem non prædicari. Et fundatur prædicta regula, ut hic aduertit Cai. in doctrina Arist. 5. meth. capit. de vno, ubi docet Philosophus sub illo vno aliqua multiplicari, cuius differentijs per se distinguuntur: & quia paternitas & spiratio diuersis per se differentijs relationis ut relatio est, sub diuina relatione distinguuntur, quia paternitas est ad filiū, & spiratio ad spiritu sanctū: idcirco duæ relationes reales diuinæ sunt, ut supra dixim⁹ cū D. Th. Et quia distinctionem hanc important paternitas & spiratio in actu exercito, ut his nominibus significatur scilicet paternitatis & spirationis; ideo significatur hoc ipso, ut distinctæ rationes personarum id est, relatiuorum personalium. Quod verò nominibus proprijs significantur ita distincta, probatur, quia nomine paternitatis significatur formaliter propria ratio relatiua patris ad filiū: nomine verò spirationis exprimitur ratio propria relatiua spirationis ad S. sanctū. Significantur igitur ambæ dictæ relationes nominibus proprijs, ac primæ intentionis, & non tantum sub notionis vocabulo ut distinctæ formaliter & in actu exercito, & ideo non prædicantur de inuiem: quod enim de aliquo prædicatur, hoc ipso quod de eo dicitur, vnum esse cum eo significatur; igitur quæ significantur ut distincta in actu exercito, non possunt de inuiem prædicari; alioquin eadem secundum eandem rationem essent vnum & diuersa, quod est impossibile. Ratio igitur, quam hic affert S. D. non est sola rationis distinctio, ut perperā intellexere Scotus & Molina: sed modus iam dictus significandi, non Logicus sed Methaphisicus.

Dubitatio.

Sed dicit aliquis, sapientia & potentia in Deo non solum ratione distinguuntur, verum etiam proprijs nominibus significantur, ut perfectiones distinctæ: quia nomen sapientiæ rationem formaliter significat ordinatiuam & iudicatiuam: nomen verò potentie vim significat productiuam, quæ sunt duæ per se differentiæ perfectionis, ut perfectio est, & tamen de inuiem prædicantur; igitur ratio D. Th. non est legitima. Huius obiectionis solutio, materiam hanc insigniter illustrabit. Ad cuius euidentiam.

Solut.

Secundo considerandum est ex D. Tho. in 1. dist. 27. q. 1. a. 1. ad 3. quod, quemadmodum attributa essentialia non sunt plures res, ita nec proprietates vni personæ conuenientes: sed sunt vna res relatiua, quæ est ea persona, in qua conueniunt; exempli gratia, paternitas & spiratio sunt vnæ res, quæ est persona patris. Sed differentia est inter proprietates prædictas abstractæ conceptas & attributa, quod hæc de inuiem prædicantur, proprietates autem siue relationes minime. Cuius rationem affert S. Thom. quia relatio manet in diuinis, etiam secundum communem rationem sui generis; &

ideo manet etiam relationis distinctio, in quantum est relatio, intellige ut significata in actu exercito per proprium cuiusque relationis nomen scilicet paternitatis, filiationis, spirationis & processionis: sicut etiam hæc nomina relatione significant ut exercitam: & ideo (inquit S. Th.) dici potest plures esse relationes, & vnā de aliis non prædicari: quod de perfectionibus diuinæ nature seu attributis affirmare non licet: cum in Deo non habeant communem sui generis rationem, nomine primæ intentionis significatam, sub qua proprijs ac per se differentijs distinguantur. Non est enim in Deo ratio qualitatis, quæ in rebus creatis, ex quibus ad diuinis transferuntur perfectiones, commune genus est ad sapientiam, potentiam, iustitiam & similes alias perfectiones simpliciter in creaturis, quas Deo constat formaliter conuenire. Quare bene dixit Boetius, vniuersa prædicamenta de Deo dicta, præter aliquid, in substantiam mutari; cuius rationem S. D. adduxit in a. 1. & 2. ad 1. q. 28. quia scilicet propria ratio reliquorum prædicamentorum accipitur secundum comparisonem ad subiectum, secundum quam illis conuenit esse accidentale, quod est inesse subiecto. Propria verò ratio relationis, non accipitur secundum comparisonem ad subiectum, sed secundum comparisonem ad aliquid extra scilicet ad terminum; nihil autem in Deo potest habere habitudinem ad id, in quo est nisi habitudinem identitatis, ob summam Dei simplicitatem; & ideo cuncta reliqua prædicamenta vertuntur in substantiam, non autem relatio, quæ secundum propriam rationem non respicit illud in quo est, sed extrinsecum terminum.

Ex his ad obiectionem dico, sapientiam & potentiam in Deo non contineri sub hoc communi quod est perfectio, tanquam sub proprio genere, sicut paternitas & spiratio sub relatione, modo loquendo de genere, quo ponitur in diuinis. Nam proprium genus sapientiæ & potentie in creaturis est qualitas, non autem perfectio: in Deo autem loco qualitatis succedit substantia, ut affirmant Boetius & Doct. S. Constat autem sapientiam & potentiam in Deo non distinguuntur sub diuina substantia, ut sub quodam communi differentijs per se substantiæ, ut substantia est: sicut paternitas & spiratio sub relatione diuina distinguuntur differentijs per se relationis, ut relatio est: igitur sapientia & potentia, ut his nominibus proferuntur, non significantur ut distinctæ in actu exercito, & ideo de inuiem prædicantur.

Et ex hac differentia nascitur illa, quam recentiores quidam assignant dicentes propositiones, in quibus vna relatio de alia prædicatur, accipi semper in sensu formali; & ideo falsam esse prædicationem. Propositiones autem, in quibus dicitur vna perfectio de alia, faciunt ut plurimum sensum identicum, licet quandoque formalem admittant, & ideo ut plurimum veræ sunt, in paucioribus autem sunt falsæ. Nam si prædicetur actio siue operatio de potentia, prædicatum tenetur adiectiuè, & fit sensus formalis; ut cum dico, intellectus intelligit, volūtas vult, potentia creat; quæ omnes propositiones veræ sunt; quia propria in his cuiq; potentia tribuitur operatio. Si verò vnius operatio potentie de altera prædicetur, fit eadē ratione sensus formalis, sed falsus: ut si dicā, intellectus vult, voluntas intelligit; sensus est. n. intellectus qua ratione ē intellectus elicit volitionē, & volūtas quatenus est volūtas, actū hēt intelligendi, & ideo sunt ambæ falsæ. Cū

N 3 autem

autem vna quæuis alia perfectio, quæ non sit operatio, de alia prædicatur in Deo, sumitur prædicatum substantiuè, & fit sensus identicus: ac proinde vera est propositio, vt hæc, intellectus est voluntas, & alia similes. Si verò diuinæ perfectiones sumantur vt nomine attributi significata, de inuicem prædicari nō possunt: sic enim significantur in actu exercito, vt rationes omnino distinctæ; & propositiones habent sensum formalem; sicut hæc, attributum scientiæ est attributum potentiæ, falsa est, ob dictam causam. Nam, vt obseruat S. D. loco superius allegato, nomen attributi est nomen secundæ impositionis, & est commune omnibus diuinis perfectionibus, sub ea ratione, qua sunt attributa consideratis: & ideo diuiditur ratio communis attributi differentijs per se, in attributum scientiæ, potentiæ &c. & quia singula per se differentia, singulis attributorum nominibus formaliter significantur: idcirco dicendo, attributum scientiæ & attributum potentiæ, significo distinctionem eorum in actu exercito: sicut etiam cum dico, notio paternitatis & notio spirationis; & ideo, cū enunciat vnum de alio, prædicata sumuntur formaliter, & reddunt falsas propositiones.

Conclusio-
nes deduc-
tæ, & proba-
tæ.

PRIMA CONCL. Quæ significantur, vt distincta formaliter in actu exercito, non prædicantur de inuicem in diuinis.

SECUNDA CONCL. Relationes diuinæ in abstracto significata, nō prædicantur de inuicem, quia significantur in actu exercito, vt rationes formaliter distinctæ personarum.

TERTIA CONCL. Diuinæ perfectiones nō significantur nominibus proprijs, vt distinctæ formaliter: & ideo possunt vt plurimū de inuicem prædicari.

QUARTA CONCL. Diuinæ perfectiones sub nomine attributi, non prædicantur de inuicem, sicut nec diuinæ relationes sub nomine notionis.

Ob. 1. cōt. 2. concl.

CONTRA secundam concl. arg. Mol. Primò. Secundum sententiam D. Th. & veritatem, paternitas & spiratio actiua nec re, nec ratione formali distinguuntur inter se, sed tantum virtute; Ergo hæc in sensu formali erit concedenda, paternitas est spiratio actiua; sicut hæc duæ sunt concedendæ, paternitas est essentia, voluntas est intellectus. Resp. primò cum Caiet. paternitatem & spirationem, etsi non distinguantur à parte rei nisi virtualiter; quatenus tamen à nobis concipiuntur, distinctionem habent, vt significantur tanquam rationes distinctæ personarum in actu exercito. Secundò respondetur paternitatem & spirationem distingui, non tantū virtualiter sed etiam actualiter & formaliter: non in esse rei, sed in esse relationis, vt supra latè probauimus.

Solut.

Replica.

Sed contra hanc respons. potest afferri tale argumentum ex Molina. Intellectus est quo Deus intelligit & nō quo vult: voluntas verò est id quo vult & non quo intelligit, & tamen hæc est vera, intellectus est voluntas in Deo; Ergo etiam si paternitati conueniat vt sit respectus ad filium, & spirationi actiue conueniat vt sit respectus ad Spiritum sanctum, vt virtute distinguitur à paternitate, nihilominus hæc erit vera paternitas est spiratio. Resp. nullam esse conseq. primò, quia nomina intellectus & voluntatis in Deo non significant perfectiones illas, vt distinctas ab inuicem in actu exercito; sicut nomina paternitatis & spirationis significant diuinæ relationes, vt ita distinctas. Secundò dico paternitatem & spirationem actu distingui in esse relationis: intellectus autè & voluntas nō distinguuntur actu in esse suo absoluto.

Solut.

A Secundò vtitur argumēto Scoti, quod hic assertum & soluitur à Caiet. ex doctrina superius explicata.

SECUNDA CONTROVERSIA.

De veritate conclusionis: An scilicet illa omnes & sola sint notiones diuinarum personarum, quas hic enumerat S. Th.

QVAMVIS præcipue sit hic nobis cum Scoto sensus quæ de inspirabilitate cōtrouersia, an scilicet qui nario communiter à patribus admissio notionum numero sit addenda; complectimur tamen eadē forma quæsi dubitationes de quibusdam ex dicto numero superius recensitis (hæc verò sunt innascibilitas & spiratio) & de pluribus alijs, in eodem numero minimè comprehensis, sed quædam cum illis affinitate gaudentibus; vt imago, verbum, donum, esse ab alio, non esse principium alicuius personæ, quod conuenit Spiritui sancto; generare, generari, spirare, producere, produci & similia.

SCOTVS in 1. diff. 28. q. 1. ad 3. argum. ait se non videre, cur inspirabilitas non sit notio filij, vel etiam simul patris & filij; quemadmodum spiratio communis est vtrique notio. Eandem sententiam, paulò fidentius sequitur & tuetur Rada cōtrouersia 25. a. 3. & explicat tribus conclusionibus. Prima est. Opinio asserens in diuinis esse sex notiones, est in fide tutissima. Secunda. Nullus sanctorum patrum antiquorum dixit esse quinque notiones. Tertia. Doctor subtilis non tenet absolute inspirabilitatem esse sextam notionem, sed cum moderamine, vt putat si non assignetur aliqua bona ratio, ob quam cogamur dicere eam non esse notionem. In eadem verò cōtrou. a. 2. loquens de innascibili siue ingenito, cuius abstractum scilicet innascibilitas propria est notio patris, duo dicit. Primum. Negatio per hoc nomen ingenitum importata supponit in prima persona aliquam entitatem positiuam, in qua fundetur & ratione cuius sit propria eius. Secundum. Hæc entitas positiuam est paternitas, non sub ratione paternitatis, sed sub ratione entitatis hypostatice primæ; hæc verò est entitas singularis incommunicabilis prima, indifferens ad absolutum & respectiuum.

Vatquez disp. 137. quamuis in conclusione conueniat cum D. Th. rationes tamen, quas hic assertum Caiet. & post eum alij, partim impugnatur, & partim contemnit. Et eodem modo procedit etiam aduersus rationes, quas assignant Durand. Torres & alij recentiores: suam verò sententiam aperit duobus dictis. Primū est. Ratio ob quam innascibilitas sit notio, etiā si negatione significetur, est quia licet formaliter & expresse significet negationem & id quod pater non est: materialiter tamen & directè significat positiuam aliquam dignitatem personæ, modum scilicet aliquem subsistendi illius in quo dignitas aliqua modo nostro intelligendi apparet, & per negationem à nobis cognoscitur. Secundum eius dictū est. Significatū positiuū huius vocis innascibilitas est paternitas sub peculiari conceptu primæ originis & principij. In disp. verò 159. c. 5. ait personā patris priusquā generet non apprehēdi sub conceptu patris, sed sub conceptu innascibilis & secundū ad producendū: & intelligi vt constitutā ex essentia & proprietate seu notione innascibilis & secundū ad producendū; & addit, tunc concipi personā primā sub ratione cuiusdam formæ hypostatice, quā nos nomine aliquo quidditatiuo scilicet ingeniti aut secundū ad producendū, non denominatiuo quale est forma hypostatice, magis exprimimus.

Barth.